



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Confessionibus Ritè ac fructuosè excipiendis Doctrinas  
tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status  
accomodatas complectens**

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§.4. Quomodo supra à dictæ doctrinæ in praxin sint redigendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49251)

no in eisdem inquirat, aut temerariè de illis iudicium ferat.  
 2. Ut, ubi varias de ipsis querelas audierit, eas non statim credat, sed vel excuset, vel certè ab iis tanquam ad se non pertinentibus iudicium suspendat. 3. Ut, si quos occultas vel àpertas cum suis Pœnitentibus inimicitias portare adverterit, omnem industriam adhibeat, ut iterum inter se concilientur, mediâque stabiliendæ concordix ab eo præscripta sedulo & constanter usurpent.

## §. IV.

Quomodo supradictæ doctrinæ in praxi  
 sint redigendæ?

Dictum est suprâ inter alia capita, quæ ad præparationem remotam requiruntur, etiam Ideam esse, quam quisque in confessionibus audiendis ob oculos sibi ponat, & totis viribus imitari studeat, pro hac autem commodissimè servire posse exemplum Christi pedes discipulorum lavantis. Ut ergo hanc Ideam Confessarius usurpare sciat, simulque compendium supradictarum doctrinarum habeat, breviter ostendere oportet, quid in dicta Idea potissimum considerandum, & imitatione exprimendum videatur.

I. Itaque sicut Christus antè, quàm lotionem pedum inciperet, aquam & omnia necessaria præparari iussit, ita & Confessarius operam dare debet, ut, quidquid ad confessiones legitimè audiendas requiritur, puta scientiam, jurisdictionem, virtutem, ritè præparata habeat.

II. Sicut Christus ante lotionem linteo mundo se cinxit, ita Confessarius priùs, quàm ad confessiones audiendas se conferat, mundâ conscientiam, firmissimòque castitatis servandæ proposito accinctus sit, oportet.

III. Sicut Christus ante eandem lotionem genua flexit, ita Confessarius idem faciat, & per ardentem orationem sibi ac Pœnitentibus copiosam à DEO gratiam pro hoc tam arduo opere petat.

IV. Sicut Christus magna cum humilitate, patientiâ, & charitate omnibus suis discipulis pedes lavit, ita & ipse actua-lem peccatorum auditionem, velut sordium ablutionem cum similibus virtutibus aggrediatur.

V. Sicut Christus ab ablatis pedibus linteo aquam abster-  
 sit, ita

fit, ita Sacerdos peccata audita per absolutionem Sacramentalem abstergat, & ne deinceps iterum eisdem sordidos per peccata efficiant, suaviter simul & efficaciter hortetur.

VI. Sicut Christus nullum inter discipulos discrimen fecit, sed Judæ tam bene ac Petro & Joanni pedes lavit; ita Confessarius quoque omnes Pœnitentes æquali charitate ac benevolentia complectatur, atque ad confessionem faciendam promiscuè admittat.

VII. Sicut Christus post lotionem cibo salutari eos refecit; ita Confessarius quoque post explicata peccata cibo salutari doctrinæ Pœnitentes reficere, & utili adhortatione recreatos dimittere studeat.

## §. V.

## Quid Confessario post confessiones auditas faciendum sit?

I. Agat DEO gratias pro collato sibi & Pœnitentibus auxilio ad hoc Sacramentum ritè administrandum vel suscipiendum, novaque sibi & illis auxilia emendicet ad faciliorem propositorum executionem.

II. Exerceat varios actus humilitatis, credens se longè magis ingratum esse omnibus suis Pœnitentibus ob majus lumen, uberiora auxilia, plura & efficaciora præsidia, quibus tam segniter cooperatur.

III. Reflecat se, & examinet, num quid omiserit, vel neglexerit ad munus suum pertinens. Quod si errasse se deprehendat, doleat, proponatque, prout necessarium videbitur, seriam emendationem; si nihil occurrat, divinæ bonitati gratias agat.

IV. Conetur oblivisci omnium auditorum in confessione, & surda aure recurrentes species, molestèque allatantes pertransilire.

V. Secreti sit tenacissimus, ita, ut neque in genere quidem de auditis in confessione unquam loquatur, nisi cum summa circumspectione. Ad hoc proderit sæpius illa sigilla ( seu titulos, quibus ad secretum servandum obligatur) perpendere, nempe sigillum seu ritulum præcepti naturalis, præcepti divini, præcepti Ecclesiastici, justitiæ, religionis, charitatis, fidelitatis; his enim sigillis omnia peccata in confessione audita claudi & obsignari oportet.

P A R S